

Lucio Anneo Seneca

Medea

a cura di Emilio Piccolo

CLL

Classici Latini Loffredo

CLL
Classici Latini Loffredo
emiliopiccolo@mclink.it

Napoli, 2009

La manipolazione e/o la riproduzione (totale o parziale) e/o la diffusione telematica di quest'opera sono consentite a singoli o comunque a soggettini non costituiti come imprese di carattere editoriale, cinematografico o radio-televisivo.

Lucio Anneo Seneca

Medea

a cura di Emilio Piccolo

CLL

Classici Latini Loffredo

Medea Di coniugales tuque genialis tori,
Lucina, custos quaeque domituram freta
Tiphyn nouam frenare docuisti ratem,
et tu, profundi saeue dominator maris,
clarumque Titan diuidens orbi diem, 5
tacitisque praebens conscium sacris iubar
Hecate triformis, quosque iurauit mihi
deos Iason, quosque Medeae magis
fas est precari: noctis aeternae chaos,
auersa superis regna manesque impios 10
dominumque regni tristis et dominam fide
meliore raptam, uoce non fausta precor.
nunc, nunc adeste sceleris ultrices deae,
crinem solutis squalidae serpentibus,
atram cruentis manibus amplexae facem, 15
adeste, thalamis horridae quondam meis
quales stetistis: coniugi letum nouae
letumque socero et regiae stirpi date.
Num peius aliquid? quod precer sponso malum?
uiuat; per urbes erret ignotas egens 20
exul pauens inuisus incerti laris,
iam notus hospes limen alienum expetat; 23a,22b
me coniugem opto, quoque non aliud queam 22a,23b
peius precari, liberos similes patri 24
similesque matri++parta iam, parta ultio est:
peperi. Querelas uerbaque in cassum sero?
non ibo in hostes? manibus excutiam faces
caeloque lucem++spectat hoc nostri sator
Sol generis, et spectatur, et curru insidens
per solita puri spatia decurrit poli? 30
non redit in ortus et remetitur diem?
da, da per auras curribus patriis uehi,

committe habenas, genitor, et flagrantibus
 ignifera loris tribue moderari iuga:
 gemino Corinthos litori opponens moras 35
 cremata flammis maria committat duo.
 hoc restat unum, pronubam thalamo feram
 ut ipsa pinum postque sacrificas preces
 caedam dicatis uictimas altaribus.
 Per uiscera ipsa quaere supplicio uiam, 40
 si uiuis, anime, si quid antiqui tibi
 remanet uigoris; pelle femineos metus
 et inhospitalem Caucasum mente indue.
 quodcumque uidit Phasis aut Pontus nefas,
 uidebit Isthmos. effera ignota horrida, 45
 tremenda caelo pariter ac terris mala
 mens intus agitat: uulnera et caedem et uagum
 funus per artus++leuia memorauit nimis:
 haec uirgo feci; grauior exurgat dolor:
 maiora iam me scelera post partus decent. 50
 accingere ira teque in exitium para
 furore toto. paria narrentur tua
 repudia thalamis: quo uirum linques modo?
 hoc quo secuta es. rumpe iam segnes moras:
 quae scelere parta est, scelere linquenda est domus. 55

Chorvs Ad regum thalamos numine prospero
 qui caelum superi quique regunt fretum
 adsint cum populis rite fauentibus.
 Primum sceptriferis colla Tonantibus
 taurus celsa ferat tergore candido; 60
 Lucinam niuei femina corporis
 intemptata iugo placet, et asperi
 Martis sanguineas quae cohibet manus,
 quae dat belligeris foedera gentibus
 et cornu retinet diuite copiam, 65
 donetur tenera mitior hostia.
 Et tu, qui facibus legitimis ades,
 noctem discutiens auspice dextera
 huc incede gradu marcidus ebrio,
 praecingens roseo tempora uinculo. 70
 Et tu, quae, gemini praeuia temporis,
 tarde, stella, redis semper amantibus:

te matres, auide te cupiunt nurus
quamprimum radios spargere lucidos. 75
Vincit uirgineus decor
longe Cecropias nurus,
et quas Taygeti iugis
exercet iuuenum modo
muris quod caret oppidum,
et quas Aonius latex 80
Alpheosque sacer lauat.
Si forma uelit aspici,
cedent Aesonio duci
proles fulminis improbi
aptat qui iuga tigribus, 85
nec non, qui tripodas mouet,
frater uirginis asperae,
cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior.
Sic, sic, caelicolae, precor, 90
uincat femina coniuges,
uir longe superet uiros.
Haec cum femineo constitit in choro,
unius facies praenitet omnibus.
sic cum sole perit sidereus decor, 95
et densi latitant Pleiadum greges,
cum Phoebe solidum lumine non suo
orbem circuitis cornibus alligat.
ostro sic niueus puniceo color
perfusus rubuit, sic nitidum iubar 100
pastor luce noua roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidis horridi,
effrenae solitus pectora coniugis
inuita trepidus prendere dextera,
felix Aeoliam corripere uirginem 105
nunc primum soceris sponse uolentibus.
Concesso, iuuenes, ludite iurgio,
hinc illinc, iuuenes, mittite carmina:
rara est in dominos iusta licentia.
Candida thyrsgigeri proles generosa Lyaei, 110
multifidam iam tempus erat succendere pinum:
excute sollemnem digitis marcentibus ignem.
festa dicax fundat conuicia fescenninus,

soluat turba iocos++tacitis eat illa tenebris, si qua peregrino nubit furtiua marito.	115
Medea Occidimus: aures pepulit hymenaeus meas. uix ipsa tantum, uix adhuc credo malum. hoc facere Iason potuit, erepto patre patria atque regno sedibus solam exteris deserere durus? merita contempsit mea	120
qui scelere flammis uiderat uinci et mare? adeone credit omne consumptum nefas? incerta uecors mente non sana feror partes in omnes; unde me ulcisci queam? utinam esset illi frater! est coniunx: in hanc	125
ferrum exigatur. hoc meis satis est malis? si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae nouere facinus quod tuae ignorent manus, nunc est parandum. scelera te hortentur tua et cuncta redeant: inclitum regni decus	130
raptum et nefandae uirginis paruus comes diuisus ense, funus ingestum patri sparsumque ponto corpus et Peliae senis decocta aeno membra: funestum impie quam saepe fudi sanguinem++et nullum scelus	135
irata feci: saeuit infelix amor. Quid tamen Iason potuit, alieni arbitri iurisque factus? debuit ferro obuium offerre pectus++melius, a melius, dolor furiose, loquere. si potest, uiuat meus,	140
ut fuit, Iason; si minus, uiuat tamen memorque nostri muneri parcat meo. Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens coniugia soluit quique genetricem abstrahit gnatis et arto pignore astrictam fidem	145
dirimit: petatur, solus hic poenas luat, quas debet. alto cinere cumulabo domum; uidebit atrum uerticem flammis agi Malea longas nauibus flectens moras.	
Nvtrix Sile, obsecro, questusque secreto abditos manda dolori. grauia quisquis uulnera patiente et aequo mutus animo pertulit, referre potuit: ira quae tegitur nocet; professa perdunt odia uindictae locum.	150

Me. Leuis est dolor, qui capere consilium potest et clepere sese: magna non latitant mala. libet ire contra. Nvt. Siste furialem impetum, alumna: uix te tacita defendit quies.	155
Me. Fortuna fortes metuit, ignauos premit. Nvt. Tunc est probanda, si locum uirtus habet.	160
Me. Numquam potest non esse uirtuti locus. Nvt. Spes nulla rebus monstrat adfflictis uiam.	
Me. Qui nil potest sperare, desperet nihil. Nvt. Abiere Colchi, coniugis nulla est fides nihilque superest opibus e tantis tibi.	165
Me. Medea superest: hic mare et terras uides ferrumque et ignes et deos et fulmina. Nvt. Rex est timendus. Me. Rex meus fuerat pater. Nvt. Non metuis arma? Me. Sint licet terra edita.	
Nvt. Moriere. Me. Cupio. Nvt. Profuge. Me. Paenituit fugae.	170
Nvt. Medea++ Me. Fiam. Nvt. Mater es. Me. Cui sim uide. Nvt. Profugere dubitas? Me. Fugiam, at ulciscar prius. Nvt. Vindex sequetur. Me. Forsan inueniam moras. Nvt. Compesce uerba, parce iam, demens, minis animosque minue: tempori aptari decet.	175
Me. Fortuna opes auferre, non animum potest. Sed cuius ictu regius cardo strepit? ipse est Pelasgo tumidus imperio Creo. Creo Medea, Colchi noxium Aetae genus, nondum meis exportat e regnis pedem? molitur aliquid: nota fraus, nota est manus. cui parcat illa quemue securum sinet? abolere propere pessimam ferro luem equidem parabam: precibus euicit gener. concessa uita est, liberet fines metu	185
abeatque tuta.++fert gradum contra ferox minaxque nostros propius affatus petit.++ Arcete, famuli, tactu et accessu procul, iubete sileat. regium imperium pati aliquando discat. Vade ueloci uia	190
monstrumque saeuum horribile iamdudum auehe. Me. Quod crimen aut quae culpa multatur fuga? Cr. Quae causa pellat, innocens mulier rogat. Me. Si iudicas, cognosce, si regnas, iube. Cr. Aequum atque iniquum regis imperium feras.	195

Me. Iniqua numquam regna perpetuo manent.	
Cr. I, querere Colchis. Me. Redeo: qui auexit, ferat.	
Cr. Vox constituto sera decreto uenit.	
Me. Qui statuit aliquid parte inaudita altera, aequum licet statuerit, haud aequus fuit.	200
Cr. Auditus a te Pelia supplicium tulit? sed fare, causae detur egregiae locus.	
Me. Difficile quam sit animum ab ira flectere iam concitatum quamque regale hoc putet sceptris superbas quisquis admouit manus, qua coepit ire, regia didici mea.	205
quamuis enim sim clade miseranda obruta, expulsa supplex sola deserta, undique afflicta, quondam nobili fulsi patre auoque clarum Sole deduxi genus.	210
quodcumque placidis flexibus Phasis rigat Pontusque quidquid Scythicus a tergo uidet, palustribus qua maria dulcescunt aquis, armata peltis quidquid exterret cohors	
inclusa ripis uidua Thermodontiis,	215
hoc omne noster genitor imperio regit. generosa, felix, decore regali potens fulsi: petebant tunc meos thalamos proci, qui nunc petuntur. rapida fortuna ac leuis praecepsque regno eripuit, exilio dedit.	220
confide regnis, cum leuis magnas opes huc ferat et illuc casus++hoc reges habent magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies: prodesse miseris, supplices fido lare protegere. Solum hoc Colchico regno extuli,	225
decus illud ingens Graeciae et florem inclitum, praesidia Achiuae gentis et prolem deum seruasse memet. munus est Orpheus meum, qui saxa cantu mulcet et siluas trahit, geminumque munus Castor et Pollux meum est	230
satique Borea quique trans Pontum quoque summota Lynceus lumine immisso uidet, omnesque Minyae: nam ducum taceo ducem, pro quo nihil debetur: hunc nulli imputo; uobis reuexi ceteros, unum mihi.	235
Incesse nunc et cuncta flagitiaingere:	

fatebor; obici crimen hoc solum potest,
Argo reuersa. uirgini placeat pudor
paterque placeat: tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus, hic tuus primum gener 240
tauri ferocis ore flagranti occidet.
[fortuna causam quae uolet nostram premat,
non paenitet seruasse tot regum decus]
quodcumque culpa praemium ex omni tuli,
hoc est penes te. si placet, damna ream; 245
sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creo:
talem sciebas esse, cum genua attigi
fidemque supplex praesidis dextra peti;
terra hac miseris angulum et sedem rogo
latebrasque uiles: urbe si pelli placet, 250
detur remotus aliquis in regnis locus.
Cr. Non esse me qui scepra uiolentus geram
nec qui superbo miserias calcem pede,
testatus equidem uideor haud clare parum
generum exulem legendo et adflictum et graui 255
terrore pauidum, quippe quem poenae expetit
letoque Acastus regna Thessalica optinens.
senio trementem debili atque aeuo grauem
patrem peremptum queritur et caesi senis
discissa membra, cum dolo captae tuo 260
piae sorores impium auderent nefas.
potest Iason, si tuam causam amoues,
suam tueri: nullus innocuum cruor
contaminauit, afuit ferro manus
proculque uestro purus a coetu stetit. 265
Tu, tu malorum machinatrix facinorum,
cui feminae nequitia, ad audendum omnia
robur uirile est, nulla famae memoria,
egredere, purga regna, letales simul
tecum aufer herbas, libera ciues metu, 270
alia sedens tellure sollicita deos.
Me. Profugere cogis? redde fugienti ratem
uel redde comitem++fugere cur solam iubes?
non sola ueni. bella si metuis pati,
utrumque regno pelle. cur sotes duos 275
distinguis? illi Pelia, non nobis iacet;
fugam, rapinas adice, desertum patrem

lacerumque fratrem, quidquid etiam nunc nouas docet maritus coniuges, non est meum: totiens nocens sum facta, sed numquam mihi.	280
Cr. Iam exisse decuit. quid seris fando moras?	
Me. Supplex recedens illud extremum precor, ne culpa natos matris insontes trahat.	
Cr. Vade: hos paterno ut genitor excipiam sinu.	
Me. Per ego auspicatos regii thalami toros, per spes futuras perque regnorum status, Fortuna uaria dubia quos agitat uice, precor, breuem largire fugienti moram, dum extrema natis mater infigo oscula, fortasse moriens. Cr. Fraudibus tempus petis.	285
Me. Quae fraus timeri tempore exiguo potest?	
Cr. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.	
Me. Parumne miserae temporis lacrimis negas?	
Cr. Etsi repugnat precibus infixus timor, unus parando dabitur exilio dies.	295
Me. Nimis est, recidas aliquid ex isto licet; et ipsa propero. Cr. Capite supplicium lues, clarum priusquam Phoebus attollat diem nisi cedis Isthmo. ++ Sacra me thalami uocant, uocat precari festus Hymenaeo dies.	300
Chorus Audax nimium qui freta primus rate tam fragili perfida rupit terrasque suas posterga uidens animam leuibus credidit auris, dubioque secans aequora cursu	305
potuit tenui fidere ligno inter uitae mortisque uices nimium gracili limite ducto. Nondum quisquam sidera norat, stellisque, quibus pingitur aether,	310
non erat usus, nondum pluuias Hyadas poterat uitare ratis, non Oleniae lumina caprae, nec quae sequitur flectitque senex	
Attica tardus plaustra Bootes, nondum Boreas, nondum Zephyrus nomen habebant.	315
Ausus Tiphys pandere uasto	

carbasa ponto legesque nouas scribere uentis:	320
nunc lina sinu tendere toto, nunc prolato pede transuersos captare notos, nunc antemnas medio tutas ponere malo, nunc in summo religare loco,	325
cum iam totos auidus nimium nauita flatus optat et alto rubicunda tremunt sipara uelo.	
Candida nostri saecula patres uidere procul fraude remota.	330
sua quisque piger litora tangens patrioque senex factus in aruo, paruo diues nisi quas tulerat natale solum non norat opes.	
Bene dissaepi foedera mundi traxit in unum Thessala pinus iussitque pati uerbera pontum partemque metus fieri nostri mare sepositum.	335
Dedit illa graues improba poenas per tam longos ducta timores, cum duo montes, claustra profundi, hinc atque illinc subito impulsu uelut aetherio gement sonitu,	340
spargeret arces nubesque ipsas mare deprensum.	345
Palluit audax Tiphys et omnes labente manu misit habenas, Orpheus tacuit torpente lyra ipsaque uocem perdidit Argo.	
Quid cum Siculi uirgo Pelori, rabidos utero succincta canes, omnis pariter soluit hiatus? quis non totos horruit artus totiens uno latrante malo?	350
Quid cum Ausonium dirae pestes uoce canora mare mulcerent, cum Pieria resonans cithara Thracius Orpheus	355

solitam cantu retinere rates paene coegit Sirena sequi? Quod fuit huius pretium cursus? aurea pellis maiusque mari Medea malum, merces prima digna carina.	360
Nunc iam cessit pontus et omnes patitur leges: non Palladia compacta manu regum referens inclita remos quaeritur Argo++ quaelibet altum cumba pererrat. Terminus omnis motus et urbes muros terra posuere noua, nil qua fuerat sede reliquit peruius orbis: Indus gelidum potat Araxen, Albin Persae Rhenumque bibunt++ uenient annis saecula seris, quibus Oceanus uincula rerum laxet et ingens pateat tellus Tethysque nouos detegat orbis nec sit terris ultima Thule.	365
Nvtrix Alumna, celerem quo rapis tectis pedem? resiste et iras comprime ac retine impetum. Incerta qualis entheos gressus tulit cum iam recepto maenas insanit deo Pindi niualis uertice aut Nysae iugis, talis recursat huc et huc motu effero, furoris ore signa lymphati gerens. flammata facies, spiritum ex alto citat, proclamat, oculos uberi fletu rigat, renidet: omnis specimen affectus capit. haeret: minatur aestuat queritur gemit. quo pondus animi uerget? ubi ponet minas? ubi se iste fluctus franget? exundat furor. non facile secum uersat aut medium scelus; se uinct: irae nouimus ueteris notas. magnum aliquid instat, efferum immane impium: uultum Furoris cerno. di fallant metum!	370
Medea Si quaeris odio, misera, quem statuas modum,	375
	380
	385
	390
	395

imitare amorem. regias egone ut faces
inulta patiar? segnis hic ibit dies,
tanto petitus ambitu, tanto datus? 400
dum terra caelum media libratum feret
nitidusque certas mundus euoluet uices
numerusque harenis derit et solem dies,
noctem sequentur astra, dum siccas polus
uersabit Arctos, flumina in pontum cadent,
numquam meus cessabit in poenas furor 405
crescetque semper++quae ferarum immanitas,
quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quaeue anhelantem premens
Titana tantis Aetna feruebit minis? 410
non rapidus amnis, non procellosum mare
pontusue coro saeuus aut uis ignium
adiuta flatu possit inhibere impetum
irasque nostras: sternam et euertam omnia.
Timuit Creontem ac bella Thessalici ducis? 415
amor timere neminem uerus potest.
sed cesserit coactus et dederit manus:
adire certe et coniugem extremo alloqui
sermone potuit++hoc quoque extimuit ferox;
laxare certe tempus immitis fugae 420
genero licebat++liberis unus dies
datus est duobus. non queror tempus breue:
multum patebit. faciet hic faciet dies
quod nullus umquam taceat++inuadam deos
et cuncta quatiam. **Nvt.** Recipe turbatum malis, 425
era, pectus, animum mitiga. **Me.** Sola est quies,
mecum ruina cuncta si uideo obruta:
mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.
Nvt. Quam multa sint timenda, si perstas, uide:
nemo potentes aggredi tutus potest. 430
Iason O dura fata semper et sortem asperam,
cum saeuit et cum parcit ex aequo malam!
remedia quotiens inuenit nobis deus
periculis peiora: si uellem fidem
praestare meritis coniugis, leto fuit 435
caput offerendum; si mori nollem, fide
misero carendum. non timor uicit fidem,
sed trepida pietas: quippe sequeretur necem

proles parentum. sancta si caelum incolis
 Iustitia, numen inuoco ac testor tuum: 440
 nati patrem uicere. quin ipsam quoque,
 etsi ferox est corde nec patiens iugi,
 consulere natis malle quam thalamis reor.
 constituit animus precibus iratam aggredi++
 atque ecce, uiso memet exiuit, furit, 445
 fert odia prae se: totus in uultu est dolor.
Me. Fugimus, Iason, fugimus++hoc non est nouum,
 mutare sedes; causa fugiendi noua est:
 pro te solebam fugere++discedo, exeo,
 penatibus profugere quam cogis tuis. 450
 ad quos remittis? Phasin et Colchos petam
 patriumque regnum quaeque fraternus cruor
 perfudit arua? quas peti terras iubes?
 quae maria monstras? Pontici fauces freti
 per quas reuexi nobilem regum manum 455
 adulterum secuta per Symplegadas?
 patruamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
 quascumque aperui tibi uias, clausi mihi++
 quo me remittis? exuli exilium imperas
 nec das. eatur. regius iussit gener: 460
 nihil recuso. dira suppliciaingere:
 merui. cruentis paelicem poenis premat
 regalis ira, uinculis oneret manus
 clausamque saxo noctis aeternae obruat:
 minora meritis patiar++ingratum caput, 465
 reuoluat animus igneos tauri halitus
 interque saeuos gentis indomitae metus
 armifero in aruo flammeum Aeetae pecus,
 hostisque subiti tela, cum iussu meo
 terrigena miles mutua caede occidit; 470
 adice expetita spolia Phrixiei arietis
 somnoque iussum lumina ignoto dare
 insomne monstrum, traditum fratrem neci
 et scelere in uno non semel factum scelus,
 ausasque natas fraude deceptas mea 475
 secare membra non reuicturi senis:
 [aliena quaerens regna, deserui mea]
 per spes tuorum liberum et certum larem,
 per uicta monstra, per manus, pro te quibus

numquam peperci, perque praeteritos metus, 480
per caelum et undas, coniugi testes mei,
miserere, redde supplici felix uicem.
ex opibus illis, quas procul raptas Scythae
usque a perustis Indiae populis agunt,
quas quia referta uix domus gazas capit, 485
ornamus auro nemora, nil exul tuli
nisi fratris artus: hos quoque impendi tibi;
tibi patria cessit, tibi pater frater pudor++
hac dote nupsi. redde fugienti sua.
Ia. Perimere cum te uellet infestus Creto, 490
lacrimis meis euictus exilium dedit.
Me. Poenam putabam: munus, ut uideo, est fuga.
Ia. Dum licet abire, profuge teque hinc eripe:
grauis ira regum est semper. **Me.** Hoc suades mihi,
praestas Creusae: paelicem inuisam amoues. 495
Ia. Medea amores obicit? **Me.** Et caedem et dolos.
Ia. Obicere crimen quod potes tandem mihi?
Me. Quodcumque feci. **Ia.** Restat hoc unum insuper,
tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
Me. Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus, 500
is fecit++omnes coniugem infamem arguant,
solus tuere, solus insontem uoca:
tibi innocens sit quisquis est pro te nocens.
Ia. Ingrata uita est cuius acceptae pudet.
Me. Retinenda non est cuius acceptae pudet. 505
Ia. Quin potius ira concitum pectus doma,
placare natis. **Me.** Abdico eiuro abnuo++
meis Creusa liberis fratres dabit?
Ia. Regina natis exulum, afflictis potens.
Me. Ne ueniat umquam tam malus miseris dies, 510
qui prole foeda misceat prolem inclitam,
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.
Ia. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
abscede, quaeso. **Me.** Supplicem audiuit Creto.
Ia. Quid facere possim, loquere. **Me.** Pro me uel scelus. 515
Ia. Hinc rex et illinc++**Me.** Est et his maior metus
Medea. nos ~confligere. certemus sine,
sit pretium Iason. **Ia.** Cedo defessus malis.
et ipsa casus saepe iam expertos time.
Me. Fortuna semper omnis infra me stetit. 520

- Ia.** Acastus instat. **Me.** Propior est hostis Creo:
 utrumque profuge. non ut in socerum manus
 armes nec ut te caede cognata inquines
 Medea cogit: innocens mecum fuge.
- Ia.** Et quis resistet, gemina si bella ingruant, 525
 Creo atque Acastus arma si iungant sua?
- Me.** His adice Colchos, adice et Aeeten ducem,
 Scythas Pelasgis iunge: demersos dabo.
- Ia.** Alta extimesco sceptrā. **Me.** Ne cupias uide.
- Ia.** Suspecta ne sint, longa colloquia amputa. 530
Me. Nunc summe toto Iuppiter caelo tona,
 intende dextram, uindices flammās para
 omnemque ruptis nubibus mundum quate.
 nec deligenti tela librentur manu
 uel me uel istum: quisquis e nobis cadet 535
 nocens peribit, non potest in nos tuum
 errare fulmen. **Ia.** Sana meditari incipe
 et placida fare. si quod ex soceri domo
 potest fugam leuare solamen, pete.
- Me.** Contemnere animus regias, ut scis, opes 540
 potest soletque; liberos tantum fugae
 habere comites liceat, in quorum sinu
 lacrimas profundam. te noui gnati manent.
- Ia.** Parere precibus cupere me fateor tuis;
 pietas uetat: namque istud ut possim pati, 545
 non ipse memet cogat et rex et socer.
 haec causa uitae est, hoc perusti pectoris
 curis leuamen. spiritu citius queam
 carere, membris, luce. **Me.** Sic natos amat?
 bene est, tenetur, uulneri patuit locus.++ 550
 Suprema certe liceat abeuntem loqui
 mandata, liceat ultimum amplexum dare:
 gratum est. et illud uoce iam extrema peto,
 ne, si qua noster dubius effudit dolor,
 maneant in animo uerba: melioris tibi 555
 memoria nostri sedeat; haec irae data
 oblitterentur. **Ia.** Omnia ex animo expuli
 precorque et ipse, feruidam ut mentem regas
 placideque tractes: miserias lenit quies.
- Me.** Discessit. itane est? uadis oblitus mei 560
 et tot meorum facinorum? excidimus tibi?

numquam excidemus. hoc age, omnis aduoca
uires et artes. fructus est scelerum tibi
nullum scelus putare. uix fraudi est locus:
timemur. hac aggredere, qua nemo potest
quicquam timere. perge, nunc aude, incipe
quidquid potest Medea, quidquid non potest. 565

Tu, fida nutrix, socia maeroris mei
uariique casus, misera consilia adiuua.
est palla nobis, munus aetheriae domus
decusque regni, pignus Aeetae datum
a Sole generis, est et auro textili
monile fulgens quodque gemmarum nitor
distinguit aurum, quo solent cingi comae.
haec nostra nati dona nubenti ferant,
sed ante diris inlita ac tincta artibus. 575
uocetur Hecate. sacra letifica appara:
statuantur arae, flamma iam tectis sonet.

Chorvs Nulla uis flammae tumidiue uenti
tanta, nec teli metuenda torti,
quanta cum coniunx uiduata taedis
ardet et odit;

non ubi hibernos nebulosus imbres
Auster aduexit properatque torrens
Hister et iunctos uetat esse pontes
ac uagus errat; 585

non ubi impellit Rhodanus profundum,
aut ubi in riuos niuibus solutis
sole iam forti medioque uere
tabuit Haemus. 590

caecus est ignis stimulatus ira
nec regi curat patiturue frenos
aut timet mortem: cupit ire in ipsos
obuius enses. 595

Parcite, o diui, ueniam precamur,
uiuat ut tutus mare qui subegit.
sed furit uinci dominus profundi
regna secunda.

ausus aeternos agitare currus
immemor metae iuuenis paternae
quos polo sparsit furiosus ignes
ipse recepit. 600

constitit nulli uia nota magno: uade qua tutum populo priori, rumpe nec sacro uiolente sancta foedera mundi.	605
Quisquis audacis tetigit carinae nobiles remos nemorisque sacri Pelion densa spoliavit umbra, quisquis intrauit scopulos uagantes et tot emensus pelagi labores barbara funem religauit ora raptor externi rediturus auri, exitu diro temerata ponti iura piavit.	610 615
Exigit poenas mare prouocatum: Tiphys, in primis domitor profundi, liquit indocto regimen magistro; litore externo, procul a paternis occidens regnis tumuloque uili tectus ignotas iacet inter umbras. Aulis amissi memor inde regis portibus lentis retinet carinas stare querentes.	620 625
Ille uocali genitus Camena, cuius ad chordas modulante plectro restitit torrens, siluere uenti, cui suo cantu uolucris relicto adfuit tota comitante silua, Thracios sparsus iacuit per agros, at caput tristi fluitauit Hebro: contigit notam Styga Tartarumque, non rediturus.	630 635
Strauit Alcides Aquilone natos, patre Neptuno genitum necauit sumere innumeras solitum figuras: ipse post terrae pelagique pacem, post feri Ditis patefacta regna uiuus ardenti recubans in Oeta praeiuit saeuis sua membra flammis tabe consumptus gemini cruoris, munere nuptae. Strauit Ancaeam uiolentus ictu	640

saetiger; fratrem, Meleagre, matris
impious mactas morerisque dextra 645
matris iratae: meruere cuncti++
morte quod crimen tener expiauit
Herculi magno puer inrepertus,
raptus, heu, tutas puer inter undas?
ite nunc, fortes, perarate pontum 650
fonte timendo.
Idmonem, quamuis bene fata nosset,
condidit serpens Libycis harenis;
omnibus uerax, sibi falsus uni
concidit Mopsus caruitque Thebis. 655
ille si uere cecinit futura,
exul errabit Thetidis maritus;
fulmine et ponto moriens Oilei 661
* * * patrioque pendet 660a
 crimine poenas. 660b
Igne fallaci nociturus Argis 658
Nauplius praeceps cadet in profundum;
coniugis fatum redimens Pheraei 662
uxor impendes animam marito.
ipse qui praedam spoliūque iussit
aureum prima reuehi carina 665
[ustus accenso Pelias aeno]
arsit angustas uagus inter undas.
Iam satis, diui, mare uindicastis:
 parcite iusso.
 Nvtrix Pauet animus, horret: magna perniciēs adest. 670
immane quantum augescit et semet dolor
accendit ipse uimque praeteritam integrat.
uidi furem saepe et aggressam deos,
caelum trahentem: maius his, maius parat
Medea monstrum. namque ut attonito gradu 675
euasit et penetrare funestum attigit,
totas opes effundit et quidquid diu
etiam ipsa timuit promit atque omnem explicat
turbam malorum, arcana secreta abdita,
et triste laeua comparans sacrum manu 680
pestes uocat quascumque feruentis creat
harena Libyae quasque perpetua niue
Taurus coerces frigore Arctoo rigens,

et omne monstrum. tracta magicis cantibus squamifera latebris turba desertis adest.	685
hic saeua serpens corpus immensum trahit trifidamque linguam exertat et quaerit quibus mortifera ueniat: carmine audito stupet tumidumque nodis corpus aggestis plicat cogitque in orbes. 'Parua sunt' inquit 'mala et uile telum est, ima quod tellus creat: caelo petam uenena. iam iam tempus est aliquid mouere fraude uulgari altius. huc ille uasti more torrentis patens descendat anguis, cuius immensos duae, maior minorque, sentiunt nodos ferae (maior Pelasgis apta, Sidoniis minor), pressasque tandem soluat Ophiuchus manus uirusque fundat; adsit ad cantus meos laccessere ausus gemina Python numina, et Hydra et omnis redeat Herculea manu succisa serpens caede se reparans sua. tu quoque relictis peruigil Colchis ades, sopite primum cantibus, serpens, meis.'	690
Postquam euocauit omne serpentum genus, congerit in unum frugis infaustae mala: quaecumque generat inuius saxis Eryx, quae fert opertis hieme perpetua iugis sparsus cruore Caucasus Promethei, et quis sagittas diuites Arabes linunt pharetraque pugnax Medus aut Parthi leues, aut quos sub axe frigido sucos legunt lucis Suebae nobiles Hyrcaniis; quodcumque tellus uere nidifico creat aut rigida cum iam bruma decussit decus nemorum et niuali cuncta constrinxit gelu, quodcumque gramen flore mortifero uiret, dirusue tortis sucus in radicibus causas nocendi gignit, attrahat manu. Haemonius illas contulit pestes Athos, has Pindus ingens, illa Pangaei iugis teneram cruenta falce deposuit comam; has aluit altum gurgitem Tigris premens, Danuuius illas, has per arentis plagas	695
	700
	705
	711
	710
	712
	715
	720

tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis, 725
nomenque terris qui dedit Baetis suis
Hesperia pulsans maria languenti uado.
haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem,
illius alta nocte succisus frutex;
at huius ungue secta cantato seges. 730

Mortifera carpit gramina ac serpentium
saniem exprimit miscetque et obscenas aues
maestique cor bubonis et raucae strigis
exsecta uiuae uiscera. haec scelerum artifex
discreta ponit: his rapax uis ignium, 735
his gelida pigri frigoris glacies inest.
addit uenenis uerba non illis minus
metuenda.++Sonuit ecce uesano gradu
canitque. mundus uocibus primis tremitt.

Medea Comprecor uulgus silentum uosque ferales deos 740
et Chaos caecum atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis ligatos squalidae Mortis specus.
supplicis, animae, remissis currite ad thalamos nouos:
rota resistat membra torquens, tangat Ixion humum,
Tantalus securus undas hauriat Pirenidis, 745
[grauior uni poena sedeat coniugis socero mei]
lubricus per saxa retro Sisyphum soluat lapis.
uos quoque, urnis quas foratis inritus ludit labor,
Danaïdes, coite: uestras hic dies quaerit manus.++
nunc meis uocata sacris, noctium sidus, ueni 750
pessimos induta uultus, fronte non una minax.

Tibi more gentis uinculo soluens comam
secreta nudo nemora lustrauit pede
et euocauit nubibus siccis aquas
egique ad imum maria, et Oceanus graues 755
interius undas aestibus uictis dedit,
pariterque mundus lege confusa aetheris
et solem et astra uidit et uetitum mare
tetigistis, ursae. temporum flexi uices:
aestiua tellus horruit cantu meo, 760
coacta messem uidit hibernam Ceres;
uiolenta Phasis uertit in fontem uada
et Hister, in tot ora diuisus, truces
compressit undas omnibus ripis piger;
sonuere fluctus, tumuit insanum mare 765

tacente uento; nemoris antiqui domus
 amisit umbras uocis imperio meae.++
 die relicto Phoebus in medio stetit,
 Hyadesque nostris cantibus motae labant:
 adesse sacris tempus est, Phoebae, tuis. 770
 Tibi haec cruenta serpta texuntur manu,
 nouena quae serpens ligat,
 tibi haec Typhoeus membra quae discors tulit,
 qui regna concussit Iouis.
 uectoris istic perfidi sanguis inest, 775
 quem Nessus expirans dedit.
 Oetaeus isto cinere defecit rogas,
 qui uirus Herculeum bibit.
 piaae sororis, impiae matris, facem
 ultricis Althaeae uidet. 780
 reliquit istas inuio plumas specu
 Harpyia, dum Zeten fugit.
 his adice pinnae sauciae Stympthalidos
 Lernaea passae spicula.++
 sonuistis, arae, tripodas agnosco meos 785
 fauente commotos dea.
 Video Triuiaae currus agiles,
 non quos pleno lucida uultu
 pernox agitat,
 sed quos facie lurida maesta, 790
 cum Thessalicis uexata minis
 caelum freno propiore legit.
 sic face tristem pallida lucem
 funde per auras,
 horrore nouo terre populos
 inque auxilium, Dictynna, tuum 795
 pretiosa sonent aera Corinthi.
 Tibi sanguineo caespite sacrum
 sollemne damus,
 tibi de medio rapta sepulcro
 fax nocturnos sustulit ignes, 800
 tibi mota caput flexa uoces
 ceruice dedi,
 tibi funereo de more iacens
 passos cingit uitta capillos,
 tibi iactatur tristis Stygia

ramus ab unda, 805
tibi nudato pectore maenas
sacro feriam bracchia cultro.
manet noster sanguis ad aras:
assuesce, manus, stringere ferrum
carosque pati posse cruores++ 810
sacrum laticem percussa dedi.
Quodsi nimium saepe uocari
quereris uotis, ignosce, precor:
causa uocandi, Persei, tuos
saepius arcus 815
una atque eadem est semper, Iason.
Tu nunc uestes tinge Creusae,
quas cum primum sumpserit, imas
urat serpens flamma medullas.
Ignis fuluo clusus in auro 820
latet obscurus, quem mihi caeli
qui furta luit uiscere feti
dedit et docuit condere uires
arte, Prometheus; dedit et tenui
sulphure tectos Mulciber ignes, 825
et uiuacis fulgura flammae
de cognato Phaethonte tuli.
habeo mediae dona Chimaerae,
habeo flammam usto tauri
guttore raptas, 830
quas permixto felle Medusae
tacitum iussi seruare malum.
Adde uenenis stimulos, Hecate,
donisque meis semina flammae
condita serua: 835
fallant uisus tactusque ferant,
meet in pectus uenasque calor,
stillent artus ossaque fument
uincatque suas flagrante coma
noua nupta faces.
Vota tenentur: ter latratus 840
audax Hecate dedit et sacros
edidit ignes face luctifera.
Peracta uis est omnis: huc gnatos uoca,
pretiosa per quos dona nubenti feram.

Ite, ite, nati, matris infaustae genus, placate uobis munere et multa prece dominam ac nouercam. uadite et celeres domum referte gressus, ultimo amplexu ut fruuar.	845
Chorvs Quonam cruenta maenas praeceps amore saeuo rapitur? quod impotenti facinus parat furore? uultus citatus ira riget et caput feroci quatiens superba motu regi minatur ultro.	850
quis credat exulem? Flagrant genae rubentes, pallor fugat ruborem. nullum uagante forma seruat diu colorem. huc fert pedes et illuc, ut tigris orba natis cursu furente lustrat	860
Gangeticum nemus. Frenare nescit iras Medea, non amores; nunc ira amorque causam iunxere: quid sequetur? quando efferet Pelasgis nefanda Colchis aruis gressum metuque soluet regnum simulque reges? Nunc, Phoebe, mitte currus nullo morante loro, nox condat alma lucem, mergat diem timendum dux noctis Hesperus.	865
Nvntivs Periere cuncta, concidit regni status; nata atque genitor cinere permixto iacent.	870
Cho. Qua fraude capti? Nvn. Qua solent reges capi: donis. Cho. In illis esse quis potuit dolus? Nvn. Et ipse miror uixque iam facto malo potuisse fieri credo. Cho. Quis cladis modus? Nvn. Auidus per omnem regiae partem furit	875
	880
	885

immissus ignis: iam domus tota occidit,
urbi timetur. **Cho.** Vnda flammas opprimat.
Nvn. Et hoc in ista clade mirandum accidit:
alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
magis ardet ignis; ipsa praesidia occupat. 890

Nvtrix Effer citatum sede Pelopea gradum,
Medea, praeceps quaslibet terras pete.

Medea Egone ut recedam? si profugissem prius,
ad hoc redirem. nuptias specto nouas.
quid, anime, cessas? sequere felicem impetum. 895
pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
amas adhuc, furiose, si satis est tibi
caelebs Iason. quaere poenarum genus
haut usitatum iamque sic temet para:
fas omne cedat, abeat expulsus pudor; 900
uindicta leuis est quam ferunt purae manus.
incumbe in iras teque languentem excita
penitusque ueteres pectore ex imo impetus
uiolentus hauri. quidquid admissum est adhuc,
pietas uocetur. hoc age! en faxo sciant 905
quam leuia fuerint quamque uulgaris notae
quae commodauit scelera. prolusit dolor
per ista noster: quid manus poterant rudes
audere magnum, quid puellaris furor?
Medea nunc sum; creuit ingenium malis: 910
iuuat, iuuat rapuisse fraternal caput,
artus iuuat secuisse et arcano patrem
spoliasset sacro, iuuat in exitium senis
armasse natas. quaere materiam, dolor:
ad omne facinus non rudem dextram afferes. 915

Quo te igitur, ira, mittis, aut quae perfido
intendis hosti tela? nescioquid ferox
decreuit animus intus et nondum sibi
audet fateri. stulta properaui nimis:
ex paelice utinam liberos hostis meus 920
aliquos haberet++quidquid ex illo tuum est,
Creusa peperit. placuit hoc poenae genus,
meritoque placuit: ultimum magno scelus
animo parandum est: liberi quondam mei,
uos pro paternis sceleribus poenas date. 925

Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu

pectusque tremuit. ira discessit loco materque tota coniuge expulsa redit. egone ut meorum liberum ac prolis meae fundam cruorem? melius, a, demens furor!	930
incognitum istud facinus ac dirum nefas a me quoque absit; quod scelus miseri luent? scelus est Iason genitor et maius scelus Medea mater++occidant, non sunt mei; pereant, mei sunt. crimine et culpa carent, sunt innocentes, fateor: et frater fuit.	935
quid, anime, titubas? ora quid lacrimae rigant uariamque nunc huc ira, nunc illuc amor diducit? anceps aestus incertam rapit; ut saeua rapidi bella cum uenti gerunt, utrimque fluctus maria discordes agunt dubiumque feruet pelagus, haut aliter meum cor fluctuatur: ira pietatem fugat iramque pietas++cede pietati, dolor.	940
Huc, cara proles, unicum afflictae domus solamen, huc uos ferte et infusos mihi coniungite artus. habeat incolumes pater, dum et mater habeat++urguet exilium ac fuga: iam iam meo rapiuntur auulsi e sinu, flentes, gementes++osculis pereant patris, periere matris. rursus increscit dolor et feruet odium, repetit inuitam manum antiqua Erinys++ira, qua ducis, sequor. utinam superbae turba Tantalidos meo exisset utero bisque septenos parens natos tulissem! sterilis in poenas fui++ fratri patrique quod sat est, peperit duos.	945
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens? quem quaerit aut quo flammeos ictus parat, aut cui cruentas agmen infernum faces intentat? ingens anguis excusso sonat tortus flagello. quem trabe infesta petit Megaera? cuius umbra dispersis uenit incerta membris? frater est, poenas petit: dabimus, sed omnes. fige luminibus faces, lania, perure, pectus en Furiis patet.	950
Discedere a me, frater, ultrices deas	955
	960
	965

manesque ad imos ire securas iube:
mihi me relinque et utere hac, frater, manu
quae strinxit ensem++uictima manes tuos
970 placamus ista. Quid repens affert sonus?
parantur arma meque in exitium petunt.
excelsa nostrae tecta conscendam domus
caede incohata. perge tu mecum comes.
975 tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aueham.
nunc hoc age, anime: non in occulto tibi est
perdenda uirtus; approba populo manum.
Iason Quicumque regum cladibus fidus doles,
concurrere, ut ipsam sceleris auctorem horridi
980 capiamus. huc, huc, fortis armiferi cohors,
conferte tela, uertite ex imo domum.
Me. Iam iam recepi sceptra germanum patrem,
spoliumque Colchi pecudis auratae tenent;
rediere regna, rapta uirginitas redit.
985 o placida tandem numina, o festum diem,
o nuptialem! uade, perfectum est scelus++
uindicta nondum: perage, dum faciunt manus.
quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potens
iam cecidit ira? paenitet facti, pudet.
990 quid, misera, feci? misera? paeniteat licet,
feci. uoluptas magna me inuitam subit,
et ecce crescit. derat hoc unum mihi,
spectator iste. nil adhuc facti reor:
quidquid sine isto fecimus sceleris perit.
995 **Ia.** En ipsa tecti parte praecipiti imminet.
huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
suis perusta. **Me.** Congere extremum tuis
natis, Iason, funus ac tumulum strue:
coniunx socerque iusta iam functis habent
1000 a me sepulti; gnatus hic fatum tulit,
hic te uidente dabitur exitio pari.
Ia. Per numen omne perque communes fugas
torosque, quos non nostra uiolauit fides,
iam parce nato. si quod est crimen, meum est:
1005 me dedo morti; noxium macta caput.
Me. Hac qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
i nunc, superbe, uirginum thalamos pete,
relinque matres. **Ia.** Vnus est poenae satis.

Me. Si posset una caede satiari manus,
nullam petisset. ut duos perimam, tamen
nimium est dolori numerus angustus meo.
in matre si quod pignus etiam nunc latet,

1010